

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4658

Auteur(s) : Richard Ier Cœur de Lion, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Le Plessis-Grimoult, Saint-Étienne (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1197, 22 avril

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Richard Cœur-de-Lion concède et confirme la dotation du prieuré d'Yvrandes.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Musset Lucien, *Cartulaire des possessions de l'abbaye du Plessis-Grimoult pour le département de l'Orne, Le Pays Bas-Normand*, n° 52, 1959, n° 78.

Texte établi d'après a

Ricardus Dei gratia rex Anglorum, dux Normannorum [et] Aquitanorum, comes Andegavorum, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justiciis, vicecomitibus et omnibus ministris et fidelibus suis totius Normannie, salutem. Sciatis nos concessisse et presenti carta nostra confirmasse pro salute anime patris nostri et nostre et antecessorum nostrorum priori et canonicis regularibus de Pleissitio in perpetuam elemosinam ecclesiam Sancte Marie de Iveranda cum decimis et pertinentiis suis. Prior vero ponet in eadem ecclesia septem canonicos regulares qui jugiter ibi Deo serviant et providebit eis in temporalibus et spiritualibus ut regulariter ibi vivant, et Deo digne ministrent, et si aliquis eorum deliquerit, prior eum corrigat, et si expedire viderit amoveat et alium ydoneum substituat. Ad sustentationem vero illorum concessimus et confirmavimus eis in perpetuum supradictam ecclesiam de Iveranda, cum omnibus decimis et pertinentiis suis, et totam terram que est inter fossata illorum interiora et exteriora sicut claudunt locum et pasturam illorum, et in foresta mea de Landa Putrida et de Tenerchebray mortuum boscum ad ignem eorum et ad edificia ejusdem loci, et pasnagium porcis eorum in foresta nostra de Landa Putrida et de Tenerchebray et in aliis forestis nostris de Passeis, scilicet in Andeine, et in Selva Druwa, exceptis deffensis nostris. Concessimus etiam eis et confirmavimus centum libras andegavensium in prepositura Bajocensi, et si aliquo tempore alia moneta cucurrerit in civitate illa, centum libras illius monete similiter percipiant annuatim. Concessimus eis preterea ecclesiam de Camba et ecclesiam Sancti Clementis juxta vada Vire et ecclesiam de Motager, et ecclesiam de Bueis, cum omnibus pertinentiis earumdem ecclesiarum. Volumus autem et constituimus ut unoquoque sabbato reddat prepositus avenatum de illis centum libris per manum servientis canonicorum, et si minus fuerit uno sabbato, altera sabbato suppleatur, ita ut habita ratione per sabbata infra annum centum libre eis persolvantur. Concessimus etiam eis et confirmavimus in perpetuam elemosinam vivarium de Pomeria quod dominus H. rex pater noster fecit, et concedimus ut faciant molendinum extra fossata sua, et ut habeant aque conductum liberum ad illud molendinum per terram nostram. Concessimus etiam eis et confirmavimus masuram cum domibus apud Bajocas que fuerunt Radulfi filii Riculfi in perpetuam elemosinam, liberam et quietam ab omni servicio seculari. Volumus etiam et firmiter precipimus ut predicti canonici et possessiones eorum et servientes eorum liberi sint et quieti per totam terram nostram a theloneo et passagio et pontagio et ab omni consuetudina, sicut in carta dimini H., regis patris nostri continetur. H. vero Bajocensis episcopus, pro amore Dei et patris nostri

liberavit et quietavit predictam ecclesiam de Iveranda ab omni episcopali consuetudine, salva tamen episcopo Bajocensi reverentia et debita obedientia. Ut autem hec nostra elemosina cum integritate in perpetuum inconvulsa perseveret, presentis carte munimine et sigilli nostri auctoritate eam corrobavimus. Testibus : W. Rothomagensi et I. Dublinensi archiepiscopis, H. Bajocensi, ... Constanciensi, G. Ebroicensi, L. Sagiensi episcopis, magistro Maugero thesaurario Normannie, magistro Rogero de Sancto Edmundo, Roberto, Balderico, Joello capellanis nostris, Willermo Tholomer, R. Comite Augi, Willermo Mariscallo, W. filio Radulfi senescallo Normannie, R. camerario de Tankarvilla, Walkelino de Ferrariis, Ricardo Selvem'. Data per manum nostram apud Bellum Castellum de Rupe, XXIIa die Aprilis, anno regni nostri octavo.